

π f
815



Q. N. 3



Q. N. 351, 33.

Q. D. B. V.

T. 166

DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MORALIS
 DE
 VERO ATQUE GENUINO
 FELICITATIS HUMANÆ
 CONCEPTU,

II f
815

QUAM
 AMPLISSIMI SOPHORUM ORDINIS
 IN ACADEMIA LIPSIENSI
 INDULTU

H. L. Q. C.

PUBLICO PLACIDOQUE ERUDITORUM EXAMINI
 SUBMITTIT

P R Æ S E S

GODOFREDUS BÜRGEL, A.M.

SUIDN. SIL.

R E S P O N D E N T E

JO. FRID. GOTTLIEB ERDMANNO, SORBIG.

SS. THEOL. ET PHIL. CULT.

D. II. APRIL. A. O. R. c^h l^o CC XXXV.

L I P S I Æ,


LITTERIS CHRISTOPHORI ZUNKER.



57.



1857
 THE
 GOVERNMENT
 OF
 THE
 UNITED STATES
 OF AMERICA
 DEPARTMENT OF THE INTERIOR
 GEOLOGICAL SURVEY
 WATER RESOURCES DIVISION
 WASHINGTON, D. C. 20540
 UNITED STATES GEOLOGICAL SURVEY
 WATER RESOURCES DIVISION
 WASHINGTON, D. C. 20540



VIRO
ILLUSTRI
SUMME REVERENDO MAGNIFICO
EXCELLÈNTISSIMO NONSULTISSIMO
DOMINO
CAROLO OTTONI
RECHENBERGIO,
Jcto.

S. REG. MAJ. POL. ET ELECT. SAXON.
A CONSILIIS AULÆ ET JUSTITIÆ, REVEREN-
DISSIMI CAPITULI MARTISBURGENSIS CANONI-
CO, SUPREMÆ CURIÆ PROVINCIALIS LIPSIEN-
SIS ASSESSORI PRIMARIO, DECRETALIUM IN
ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI PUBLICO,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO, ACADEMIÆ
DECEMVIRO ET MINORIS PRINCIPUM
COLLEGII COLLEGIATO, &c.

PATRONO SUO OPTIMO
MAXIMO.

UT ET

VIRO
ILLUSTRI
EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO
DOMINO
JOANNI JACOBO
MASCOVIO,

Jcto

S. REG. MAJ. POL. ET ELECT. SAXON.
A CONSILII AULÆ ET JUSTITIÆ, SUPREMÆ
CURIÆ PROVINCIALIS ET CONSISTORII LIPSIEN-
SIS ASSESSORI, CIVITATIS LIPSICÆ PRÆTORI,
ET MINORIS PRINCIPUM COLLEGII
COLLEGIATO, &c.

PATRONO SUO ÆTATEM
DEVENERANDO.

H O C
QUICQUID EST SPECIMINIS ACADEMICI,
IN
PERPETUAM CERTISSIMAMQUE
GRATI PARITER ANIMI, AC SINCERISSIMÆ
PROMTISSIMÆQUE,
IN QUAM
ILLUSTRIBUS
TANTORUM PATRONORUM
DIGNITATIBUS
HAUD ITA PRIDEM
TENUITATEM SUAM QUAM BENIGNISSIME
RECIPERE PLACUIT,
CLIENTELÆ TESSERAM
CUM OMNIGENÆ PROSPERITATIS VOTO
MORE ANTIQUO
D. D. D.

P R Æ S E S.



Conspectus Dissertationis.

§. I.

Quam sit felicitatis necessaria cognitio.

§. II.

Ignoti enim nulla cupido.

§. III.

Diviso totius Dissertationis tripartita.

§. IV.

Et I. quidem quidnam sit Felicitas? ubi aliorum de illa ipsa opiniones.

§. V.

Ut & de summo bono, quippe cujus illa maxime niti videtur cognitione.

§. VI.

Felicitas qualis terminus?

§. VII.

Summum vero bonum quodnam & quale?

§. VIII.

§. VIII.

Uterior utriusque suppeditatur notio.

§. IX.

Est autem verum atque genuinum summum bonum ipse Deus.

§. X.

Neque enim obstat felicitatis obtinendæ modus ab aliis assertus.

§. XI.

Neque distinctio inter felicitatem hujus & alterius vite.

§. XII.

Nec quod alii de nostra in summum bonum objiciunt potestate.

§. XIII.

Neque vero, qualem sibi plerique fingunt, ejusdem fruitio.

§. XIV.

Quibus felicitatis subnectitur definitio.

§. XV.

Et confirmatur.

§. XVI.

II. An & ubinam illa existat?

§. XVII.

§. XVII.

Quod vero in hisce terris non videtur.

§. XVIII.

Sed alterius potius vitæ proprium esse.

§. XIX.

Unde III. Quæ sint media felicitatis adipiscendæ?

§. XX.

De quibus in genere.

§. XXI.

De Virtute in specie.

§. XXII.

Ut & de gratuita a Deo nobis facta felicitatis nostræ collatione.

§. XXIII.

Unde denique pateat, solum hominem esse felicitatis fruendæ capacem.

§. XXIV.

Conclusio.





§. I.

Felicitas est scopus ille desideratissimus, quem omnes optant, pauci quærunt, paucissimi vero attingunt. Nec mirum. Cum enim adhuc sub iudice lis sit, neque vel inter sapientiores satis conveniat, in quonam vera generis humani felicitas consistat, quique illi proprie sint constituendi fines: in promptu causa est, quare non plures, ac quotidie fieri assolet, felices evadant. Namque solida felicitatis humanæ cognitione deficiente, superficialia autem, vel etiam arbitraria, minus sufficiente, deficit necessario plerisque, nisi forsan omnibus, ipsa felicitas. Quod maxime sequenti ratiocinatione patebit.

§. II.

Qua demum cunque re in hoc universo uti frui cupimus, ejus ante omnia præstat existentiam, præstat nosse essentiam. Quicquid enim & quam diu istud nondum

A

dum

dum cognovimus, tam diu neque ejus possumus usum, neque fas est, optare, nisi omnem humanitatem omnemque rationem procul a nobis abjecisse velimus videri. Scilicet, quod jam veteres eam in rem haud incongrue dixerunt, ignoti nulla cupido. Quippe fingamus nobis hominem vel ab aliorum commercio quam remotissime viventem, vel jam inde ab incunabilis barbaras inter gentes medium constitutum, ubi neque de horologiis, nostris præcipue hominibus adeo usitatis, neque de alio quopiam instrumento Mathematico vel quicquam inaudiverit: an idem ille homo nihilo tamen fecius sive illius cujusdam sive hujus exoptaturus aliquando videtur esse usum? Mihi certe non videtur. Namque pone, nullam hactenus ea de re habuit notitiam, nec ejus ipse quidem possibilitatem cognovit, & ut verbo complectar, nulla prorsus per omne vitæ suæ tempus in ipsius mente de ejusdem sive essentia, sive existentia exorta cogitatio, exorta fuit idea. Unde, quæso, quis est tam hebeti animo, qui non ipse satis perspiciat, vel per ipsam rerum naturam mentisque humanæ conditionem penitus impossibile esse, alicujus rei possidendæ antea desiderio trahi, quam ejusdem vel aliquam habere cognitionem, sive propria acceptam ratiocinatione, sive aliunde petitam? Parum enim refert, unde eam consequare, modo habeas. Quin immo si vel maxime alicujus rei, quantum constat, nondum existentis, vel tui ipsius paulo felicioris ingenii facultate meram tibi atque solam effingas possibilitatem: inquiras tamen ante omnia oportet, sitne res mere speculativa, anne potius, quæ aliquando in actum dari queat, neque vero, quam vel olim existere per vires humanas prorsus sit impossibile. Alias enim tale desiderium ingens magis animi prodere deliquim, quam acumen videtur.

§. III.

Videamus autem, an & quidnam illa ad præsentem faciant rem illustrandam? Et videtur hac ex parte omnino eadem felicitatis, ac aliarum quarumcunque rerum esse conditio, ut scilicet ante, quam eam anhelamus, ejusque usum fructum desideremus, de illius pariter existentia atque essentia sufficientem nobis pariamus notitiam, pariamus cognitionem. Cardo igitur rei potissimum in eo versatur, ut ante omnia paulo curatius investigemus, felicitas quid sit? hinc an & ubinam existat? & denique quomodo ad eam nobis sit pertingendum?

§. IV.

Ad prius membrum propositæ quod spectat quæstionis: videntur pene tot de felicitate esse opiniones, quot capita hominum & mentes, saltim quot Philosophorum sectæ, quot illorum scholæ. Nimirum alii veram ejus essentiam in ipsa quærunt vita beata. a) Alii ita edisserunt, esse felicitatem statum perpetui gaudii, b) alii desiderium hominis tranquillum temperatamque cogitationum mutationem, c) alii statum, quo homo summo bono fruitur, d) alii fruitionem Dei. e) Et quæ sunt reliquæ de felicitate humana opiniones. Quæ vero omnes atque singulæ eo potissimum redire

A 2

vi-

- a) Aristot. Ethic. c. 5. seq.
- b) Chr. Wolff. Moral. c. I.
- c) Christ. Thomaf. Sitten-Lehre c. 2. §. 62.
- d) Excell. Nost. Müller. Ethic. c. I. §. 7.
- e) De qua conf. quæ habent Gottfr. Polyc. Müller. Phil. Part. II. c. I. & Jo. Fr. Budd. Elem. Phil. Pract. T. III. P. I. c. 4.

videntur, ut contendant, veram omnino summamque felicitatem vel maxime in continua veri summique boni consistere possessione fruitione. Unde non tam de ipsius felicitatis humanæ incipiendâ disputatio nostra conceptu, quam potius verus atque genuinus summi boni intellectus ante omnia eruendus, paucisque videtur declarandum, quale demum & quidnam istud non tam ex aliorum mente, quam ipsa rei veritate sit, quod jure meritoque summum bonum dici mereatur?

§. V.

Sistunt igitur se nobis nonnulli Philosophorum, qui vel maxime summum bonum in voluptate pariter corporis atque animi consistere putant. f) Alii honori vel gloriæ, alii divitiis id nominis apprime convenire volunt. Alii in sapientia & ideis, alii in libertate, amicitia, decoro, sanitate tam corporis, quam mentis, alii in integritate membrorum, in vita, sensationibus, ratione, intellectu, alii rursus in cognoscenda veritate, alii in inveniendâ, in actione quadam voluntatis humanæ, sive in virtute, in beatitudine, sive in vita beata, alii in amore, &, qui iis dicitur, maxime rationali, alii in vacuitate doloris, indolentia, delectatione, & id genus aliis rebus ponunt. g) Alii contra duplex, quod

f) Quale est famosissimum illud Epicuri, de quo Petr. Gassend. Lib. III. c. I. de Vita & Morib. Epic. ut & Diog. Laërtius.

g) De quibus omnino conf. Aristot. Ethic. Lib. I. c. 2. seqq. Cic. Qu. Acad. Lib. I. Tusc. Lib. V. de Fin. Bon. & Mal. Lib. V. Plato in Eu thymodo, Philebo, & de Republ. Lib. V. & VII. Jo. Fr. Budd. Elem. Phil. Pract. T. III. P. I. c. 4. §. 22. seqq. Chr. Wolff. Moral. c. I. Chr. Thomaf. Doctr. Mor. c. 1. & 2. ut & Magn. Noster Aug. Frid. Müller, Ethic. c. I. & 3.

quod summum vocant, bonum esse arbitrantur. Nimirum aliud naturale, aliud morale, & istud quidem Deum, hoc autem directionem mentis ad Deum sibi unniendum esse dicunt. h) Neque vero desunt, quibus triplex illud esse videatur, & primum quidem felicitas sive beatitas æterna, alterum amicitia, & tertium securitas sive *autopsia*. Quibus deinde adhuc quartum, sive, quod vocant, absolute summum addunt, quod sit ipse Deus. i) Et quæ sunt alia aliorum summi cujusdam boni genera. Quæ certe vel nomine tenus in præfenti recensere mirum, quam longum, quam foret tædiosum, cum vel teste Varrone jam suo tempore CCLXXXVIII diversæ Philosophorum de summo hominis bono notæ fuerint opiniones. k) Restat tamen adhuc una peculiaris, & eorum quidem sententia, qui illud ipsum, quod reliqui de suo quisque summo bono arbitrentur, doceant, existiment, optimo jure meritoque non nisi de ipso Deo dici posse contendunt. l)

§. VI.

Atque hæc demum sunt variorum de summo hominis bono mirum quam varia, quamque judicia diversa. Ne vero in tot tantisque opinionum procellis, nave veritatis quasi scissa, rebusque ad navigandum maxime

A 3

ne-

h) De quibus vide Gottfr. Polyc. Müller. Philos. Part. II. Sect. I. c. 1.

i) Andr. Ridiger. Phil. Pragmat. Lib. III. Sect. I. P. I. c. IV. §. 20.

k) In Lib. de Philosophia, cit. Augustin. de Trinit. Lib. XIII. c. 4. & de Civit. Dei Lib. XIX. c. 1.

l) Vid. Jo. Fr. Budd. l. c. §. 27. seq. Chr. Thomaf. l. c. §. 81. seqq. Heinecc. Elem. Phil. Rat. & Mor. c. II. Sect. II. & III. A. Ridiger. l. c. c. 7. §. 41. & utrumque Müller. II. cc. Qui vero plures de summo bono & inde nata hominis felicitate desiderat opiniones, fal-

necessariis plane destituta, per medium, quod ajunt, errorum, præjudiciorum, & quæ sunt alia istiusmodi phantasmata, oceanum usquequaque vagantes, tempestatum ventorumque, quales ignorantia & absurditatis potissimum esse solent, difficultatibus expositi videamur; sed ut rem magis adeo obscuram, adeo utrinque ventilatam ordine riteque præparati aggrediamur: præmonendi cumprimis sumus de ipsa felicitatis voce, esse illam, uti in scholis loqui amant, terminum relativum. Scilicet neque potest completus perfectusque ejus dari, neque haberi conceptus, nisi simul cum ad subjectum, tum ad objectum felicitatis consequendæ attendatur. Illud est, quod ex infra dicendis patebit, solus homo præditus ratione; m) hoc autem, quod vix dum audivimus, pro vario variorum hominum captu, proque diversis eorum de illo opinionibus mirum, quam varium, quamque diversum. Nimirum quicquid vel aliquid ad tuendam hominis dignitatem, tranquillitatem, sanitatem & qualemcunque statum quomodocunque in dies perfectiorem, in dies beatiorem conferre videtur reddendum, istud oppido miseri perquam mortales pro vero atque genuino felicitatis suæ objecto, quin immo pro causa, sine qua felices esse non possint, habent. Unde necessario tam varia, tamque diversa illius inter homines conditio esse perhibeatur, quam varias, quamque diversas de eodem ipsi foveant opiniones. Sed quoquo modo se res habet: illud tamen negandum non est, maximam certe felicitatis partem, nisi totam illius conditionem, vel ab omnibus in summi alicujus boni,

tin paulo certiorum illarum notitiam, ille, velim, ipse potius evolvat Th. Stanleji Hist. Phil.; Ger. Jo. Voff. de Philos. & Philos. Sect.; Diog. Laërtium de Vit. Dogm. & Apophthegm. clar. Philos. & alios, quam ut plura in præsentem a nobis expectet.

m) Vid. sis Magnif. Nost. Müller. de Ethic. in gen. §. 3. seq.

boni, quale demum cunque illud sibi persuadeant esse, consideratione poni. Atque qualem quisque de hocce sententiam tuetur, talis quoque ejus est, quam vel sibi solus comminiscatur, felicitas. Illæ vero iterum, quod ex antecedentibus patet, tam variæ, tamque sunt diversæ, quam ut omnes atque singulas in præsentî exercitatione vel solo nomine recensere, nedum prolixius confutare, apud animum habeamus constitutum. Unum tantum addimus, scilicet, videri nobis, re probe considerata, plures nimium genio suo indulgere, plures ejusmodi sibi summum fingere bonum, quale in hisce terris nusquam occurrat, licet avidissimi ejus aliquando obtinendæ existant. Quare sufficiat præcipuas & veterum, & recentiorum de summo bono in medium attulisse Philosophorum sententias; sufficiat quoque vel aliquot, eas tamen æque potiores, eorundem de ipsa inde emergente subjunxisse opiniones felicitate.

§. VII.

Ex quibus tamen omnibus, diffitendum non est, arridere nobis maxime, solamque eorum placere, quin & ipsi rei veritati potissimum videri convenire sententiam, qui, omnibus aliis aliorum post se relictis summi boni generibus, istud verum, genuinum atque solum ipsum esse Deum contendunt. n) Qualis qualis enim de iis omnibus maxime ab amatoribus suis prædicetur præstantia, conditio, finis, effectus, & id genus alia: videntur tamen mihi omnia de nulla alia re in hocce universo occurrente melius majorique jure dici, quam de ipso uno soloque Deo, tanquam verissimo reliquorum

n) Vid. quæ hanc in rem habet Magn. Nost. Müller. Ethic. c. 2. §. 20. not. it. Metaphys. c. 12. §. 17. & c. 7. §. 4.

rum bonorum omnium auctore & quasi fonte, posse. o) Nimirum bonum quicquid est, id vel sua natura ita comparatum esse debet, ut semper & ubique bonum existat, nec unquam vel per quales quales malevolorum hominum technas, insidias, minas, vel quæcunque alia obstacula bonum esse, sive, quod ex antea dictis idem esse patet, statum nostrum perfectiorem. immo, si qua fieri possit, perfectissimum reddere impediatur. p) Sed ubinam in his ipsis terris, ubi omnia, quæ sunt aut existunt, varietati, perpetuis mutationibus vicissitudinibusque, jam inde ab initis rerum inter mortales contingere solitis, obnoxia sunt atque subjacent, tale quid quærendum, ubi putabimus inveniendum, quod ea, qua modo diximus ratione, boni, ne dicam summi, nomen mereatur, nisi in solis mentis nostræ scriniis reclusum, sive, ut cum Scholasticis loquar, in meris cogitationibus speculativis?

§. VIII.

Quod si vero præter rem adhuc tamen existimes dubitandum: perquiramus saltim paulo diligentius præcipuas complurium de summo suo bono suæque inde descendenti felicitate ideas. Nec, puto, ulterius nobiscum sentire dubitabis. Scilicet quicumque felix aliquando fieri optat, nihil magis in votis habere videtur, quam ut vel liberius sentire, vel commodius vivere, vel quascunque suas res alias longe melius, longe dexterius sibi liceat expedire, atque hæc omnia, quo tamen, nescio, casu, ipsi licuerant; breviter, ut
bea-

o) Vide eam in rem pulchre edifferentem Jo. Gottl. Heinecc. Elem. Phil. Rat. & Mor. Cap. II. Sect. II. Conf. Jo. Fr. Buddeum & G. P. Müllerum II. cc.

p) Vide Auctores allegatos.

beatior, ut perfectior ejus reddatur vita, atque hæc-
 enus ista fuit, nec ullis unquam porro periculis, diffi-
 cultatibus, molestiis prematur. q) Hæc est summa
 votorum, quæ mortalium pectora adeo tangunt & an-
 gunt; hic solus atque verus, quem ad unum omnes,
 sive sapientiores, sive minus existant, de felicitate ha-
 bent, conceptus; hocce unicum eorum desiderium,
 quod omnes ipsorum dirigit atque moderatur actiones.
 Unde vero, si quid est in me iudicii, per se patefcit,
 aut humanam felicitatem neutiquam una sola re conti-
 neri atque absolvi, sed pluribus sibi invicem quam ar-
 stissime junctis inniti, r) aut, si istud statuere malimus,
 illam ipsam rem, in qua omnis nostra se fundat felici-
 tas, aliam, nisi ejusmodi esse non posse, quæ præ reli-
 quis omnibus longe præstantissima, longe maxima, per-
 fectissimaque perhibeatur.

§. IX.

Ecqua vero illa est, nisi solus atque verus ipse Deus?
 Est ille sane non solum summum ens, tamque hujus u-
 niversi, quam omnium rerum atque entium in eodem
 existentium, propriamque suam essentiam habentium
 fons, origo atque creator, sed & consequenter summum
 bonum, nullisque obnoxium mutationibus Numen. s)
 B Por-

q) Succurrit pulcherrimus sane atque brevissimus hanc in rem,
 qui apud Cic. de Fin. Lib. V. c. 30. extat, locus; *At enim, qua in
 vita est aliquid mali, ea esse beata non potest.*

r) Id quod maxime innuere videtur Aristoteles ad Nicom. L. I. c. 4:
 "Ετι ε'πει τῶγαθόν ἰσαχῶς λέγεται τῷ ὄντι ἄλλοι ὡς ἄνα
 ἂν εἴη κοινόντι καθόλου καὶ ἐν. Præterea cum bonum æque pa-
 reat ac id, quod est, perspicuum est, commune aliquod bonum, univer-
 sum & unum esse non posse.

s) Quæ maxime vel ex ipsius Aristotelis mente præcipua summi

Porro ejus non tam infinita atque immensa suo jure creditur esse, quam vere ac necessario est potentia, ut nos omnes atque singulos vel uno voluntatis suæ nutu non ex una tantum parte salvos præstare & incolumes, sed & modo velit, omnibus numeris absolutam nobis largiri felicitatem, sive, quod idem est, statum nostrum longe perfectissimum reddere queat. Tantumne vero queat, an & simul velit? hæc certe alia est quæstio, longe alio ex capite decidenda, neque tamen neganda, sed pariter omnino asserenda. Quippe æque propensam Numinis illius Divini in nostram felicitatem rite promovendam, firmiterque stabiliendam, esse scimus voluntatem, atque, quam modo laudavimus, ejusdem immensam vidimus potestatem. t)

§. X.

Sed scio, quod nonnulli hic objiciant, posita hac hypothesi, poni simul & illam minus convenientem, quasi felicitas humana non ab ipsorum hominum labore pendeat atque virtute, sed longe alio ex fonte promanet. Unde parum referat, sapientiæne, prudentiæ, virtuti studeas, nec ne, si tamen felix esse debeas, vel procul ab his omnibus remotum, tanquam per somnum aut aliud nescio quale fatum, felicem te evasurum esse; sin vero minus, neque hæc vel quicquam ad felicitatem tuam

boni videtur affectio. Scilicet inquit ille ad Nicom. L. I. c. 3: *Τὰγαθὸν δὲ κινεῖόν τι καὶ δυσσώφιστον εἶναι πάντες οὐκ οἴονται*: Bonum autem proprium quid esse auguramur, quodque vix possit eripi. Ad hæc conf. præ aliis Excell. Nost. Müller. Ethic. c. 3. §. 4. seq. ubi potissimum de summi boni indole & affectionibus; ut & Jo. Fr. Buddeum Elem. Phil. Pract. T. III. P. I. c. 4. §. 20. seqq. de eodem argumento paulo fusius edifferentem, & complures alios.

t) Vid. Thomasi. S. l. c. 3. §. 28. seqq.

tuam conferre. Sed eam vel maxime a natu divino, sive a sola & mera ejus potestate arbitrio pendere. Quem si habeas propitium, fore aliquando felicem; si vero minus, esse & mansurum, uti es atque fuisti, infelicem. u) At miram sane hæc omnia veri speciem habere videntur; neque tamen sunt. Responsum vero ad speciosissima ista argumenta Lectores nostros ex infra dicendis, ubi potissimum de modo ad felicitatem perveniendi verba faciemus, petere malimus, quam in præsentem quasi anticipando fufius proferre, quæ ita forent paulo post verbo tenus repetenda.

§. XI.

Præterea distinguunt nonnulli inter felicitatem hujus & alterius vitæ, quam posteriore peculiari nomine beatitudinis insigniunt. Atque illam potissimum in fruitione summi alicujus boni, quale inter homines occurrat; hanc vero in possessione summi, longe tamen perfectioris, longe præstantioris, & talis quidem boni quærunt, quale in hisce terris neque existat, neque magis in hominis sit constitutum potestate, atque alia omnia, quæ ceteroquin hoc nomine appellari solent, neque hic terrarum ulli mortalium sperandum, sed proprium magis, quod videtur, illius, quam modo diximus, sive post hanc ipsam, quam jamjam vivimus, futuræ vitæ, vel prorsus nullum. At vero neque ipsi ignoramus, neque diffitemur, subesse omnino vel in hisce terris miserimo proh dolor! mortalium generi eomplura, sive corporis, sive animi, sive fortunæ, ea dixeris bona. Sed ut bona quidem sint, vel eo sensu, quod vitæ, sanitati & naturæ nostræ magis convenire,

B 2

u) Conf. Thomaf. S. l. c. I. §. 84. seqq. & c. 2. sub fin.

nire, magis prodesse, quam minus videantur; quin ambabus ipsi manibus largiamur, neque esse illum profusus infelicem quidem, neque tamen nisi ex hac sola parte, qua ejusmodi bono fruitur, felicem, quin immo hoc casu iis ipsis, qui pariter eodem non fruuntur, paulo feliciorum dicendum: nihilo tamen minus summi, quod vocamus, boni longe alia videtur esse ratio. Quippe cujus potissimum conditio, &, quod in Scholis ajunt, tanquam proprium quarti modi hoc est, neque se superior habere, neque alterius esse subalternum; sed cum semel summum fuerit, semper & ubique tale existere. x) Verum enim vero ubinam aut quale censeas, sive in his ipsis terris, sive alibi, ejusmodi summum bonum esse, nisi O. M. perfectissimumque ipsum Deum? Qualis vero cum eorum, qui illud statuunt, tum qui hoc concedunt & affirmant, deinceps futura sit felicitas, in sequentibus mox paulo fusius sumus exposituri. Unde in presenti plura haud sumus admonendi, nisi distinctionem illam in felicitatem hujus & alterius vitae neque Scriptoribus Latinis, qua vocem, neque veterum Philosophorum, qua rem, satis arbitrio convenire; sed esse novioribus tantum quibusdam excogitatum Philosophis, licet omnino, ceteris tamen paribus, talis non sit, quam penitus rejiciamus. Veruntamen cum Latine loquendi scribendive induxerimus animum; non video, quare inter duas voces, quæ Latinis, & iis optime quidem notæ, scriptoribus de una eademque re accipi solent atque intelligi, præter rem distinguamus. Verbo ut rem complectar, felicitas apud Latinos & veteres Philosophos idem est, quod vita beata; hæc vero iterum illius vicem subit & vel maxime in fruitione sum-

x) Conf. omnino Magnif. Nost. Müller. Ethic. c, 3. §. 4. seqq. & Jo. Fr. Budd. l. c. c. 4.

mi boni consistere videtur. y) De cetero cum & illud palam sit, non tam hancce, quam in presenti vivimus, quam potius illam, quam tandem aliquando, neque tamen, nisi post hanc ipsam vitam speramus, esse, ob quam vel maxime in hisce terris nascamur, sumus & denique satis concedamus: inde facile quoque erit colligere, nec esse illius, quæ sive sint, sive videantur bona, quin nec ipsam nostram iisdem suffultam felicitatem, nisi hujusce tantum analogon, vel præfensionem aut præparationem; unde nec ipsum summum bonum, sed hujus vel maxime subalternum. Utut vero res se habet, interim tamen satis putaverim liquere, veram atque genuinam summi boni ideam aut notionem de nulla re aptius, de nulla verius, quam de ipso cunctarum rerum creatore, eoque solo atque vero dici posse Deo. Sane quæcunque ab aliis de suo cujusque summo bono prædicentur constituanturve proprietates, adjuncta, affectiones & id genus alia, mirum, quam pulchre huic uni atque soli vero Deo conveniant. z)

§. XII.

Objiciunt tamen hic iterum aliqui, boni alienius naturam atque conditionem inter alias & eam esse videri, ut, si eo pro lubitu uti frui velimus, idem ita sit in nostra potestate, ut, quoad velimus, semper & ubique ejus existere domini possimus. Sed nec divitiæ, honores, gloria, bona valetudo, voluptas corporis & animi, quin immo vel ipsa *ἀνταρθεσία*, sive tranquillitas

B 3

ani-

y) Conf. omnino locum Ciceronis ad §. 14. allegatum.

z) De quibus sis conf. præcipue Aristot. Ethic. Lib. I. Cic. Tusc. Lib. V. Qu. Acad. Lib. I. de Fin. Lib. V. Jo. Fr. Budd. l. c. Chr. Thomaf. S. l. c. 1. seqq. Excell. Nost. Müller. Ethic. c. 3. & alies.

animi, quæ tamen omnia a plerisque pro bonis, immo a nonnullis pro bono suo summo habentur, ita in nostra sunt constituta potestate, ut semper & ubique pro arbitrio iisdem uti frui queamus. Ergone bona? Ergone appetenda? Ergone potius fugienda, despicienda, aut, si vel maxime possideamus, abjicienda iterumque deferenda? Quæ? qualis? quanta? Immo vero quamvis hæc omnia ita se habeant, diffitendum tamen non est, nostri maxime summi boni, quod non est, nisi ipse Deus, possessionem sive fruitionem in nostra omnino ita esse constitutam potestate, ut illius semper & ubique, modo velimus, participes fieri queamus. Scilicet modo virtute cum Numine Divino quam arctissime conjungi nosmet ipsi enitamur. Quæ vero cum maxime a mere atque solo voluntatis nostræ dependeat arbitrio, sive, quod idem est, ab animi nostri repetendum sit consilio, velimusne virtuti studere, sive justo legitimoque modo cum Deo nostro longe perfectissimo, summe optimo, maximo uniri, nec ne? hinc quoque vel nostri solius summi boni ea esse ratio videtur, ut eodem semper & ubique, modo lubeat, uti frui liceat, prout ex sequentibus multo patebit luculentius. Quod tamen de rebus aliis seu antea recensitis vix ac ne vix quidem asseruerim. Quippe quarum possessio ususque miseris adeo nobis mortalibus tantum non mille casibus adversis eripi possunt & ultra. At nostri summi boni fruitio, modo veram ejus sis possessionem consecutus, de qua mox plura, non item. Ergo vero inconcussa hæcenus stat, &, credo, perstabit nostra de Deo, tanquam vero atque solo summo bono, sententia.

§. XIII.

Quanquam nec ipsi diffitemur, esse omnino longe aliam hujus possessionem, fruitionem, perceptionem, atque

atque illorum, quippe quæ cum maxime res corporales, saltim terrenæ sint, non nisi ope sensuum tam externorum; quam internorum percipimus. Hic vero longe supra captum positus humanum solus atque verus Deus neque oculis cerni, neque auribus exaudiri, neque alio quopiam modo, & eo quidem mere sensuali, a nobis tangi potest aut percipi, sed, ut est immensæ atque infinitæ potentia sapientiaque Deus, nobis quoque, donec in hisce terris res nostras curamus, tam qua veram suam essentiam, quam infinita prorsus attributa, satis abunde cognosci nequit. Interim tamen negandum non est, quamvis hæc omnia ita vere se habeant, superesse nihilo secius aliam adhuc præter illam sensualem O. M. nostri Dei perceptionem fruitionemve. Quæ vero maxime a parte illius in gratuita alterius istius beatissimæ vitæ, sive, quod idem est, summæ nostræ felicitatis collatione, a parte vero nostra in continua hujus ipsius fruitione vel possessione consistere videtur; cujus autem vel in hisce terris nobis jamjam aliquem quasi prægustum largitur, tam varia, tamque jucunda nobis beneficia exhibendo. Unde maxima certe necesse est in animis nostris suboriatur voluptas, delectatio, tranquillitas, securitas, gaudium. Neque tamen horum ulli jure meritoque summi putamus elogium boni, quin potius hujusce saltim effectus nomen convenire. Qui vero cum nihil aliud sint, quam meri causæ illius increatæ effectus: non possunt ipsi esse summum nostrum bonum. Cum enim vel ex Physicis constet, esse semper causam effectu suo nobiliorem, de Moralibus & Metaphysicis ne dicam, quid impedit, quo minus Deum O. M. vel solum, quippe omnium eorum originem atque causam efficientem primariam, tanto elogio mactemus? Maxime, cum illud statuere, si quid recte sentio, longe maximam, quam vocant, contradictionem argueret

in

in adjecto. Scilicet foret illo casu summum nostrum quidem bonum respectu aliarum rerum ignobiliorum paulo præstantius, paulo nobilius, respectu tamen causæ suæ efficientis primariæ & ipsum invicem multo ignobilius minusque eximium bonum, sive, quod idem est, summum bonum subalternum. Σιδυρόξυλον! Unde pateat, esse omnino non nisi ipsum Deum, cum reliquorum, quæ tam videntur, quam passim ita vocari solent, omnium bonorum verum fontem, originem, causam, conditorem, auctorem, tum summum nostrum bonum. a)

§. XIV.

Quibus præmissis jamjam facile erit colligere, quid proprie nobis per felicitatem humanam intelligatur. Nimirum est ea, si homonymiam vocis spectes, idem, ac quodvis faustum, opportunum, fortunatum, auspiciatum, prosperum, sive quod ex votis prospereque succedit, quod omnes appetunt, cupiunt, desiderant, quærunt, volunt, & ut verbo complectar, omnium vel maxime optimorum optimum. Ita sentiunt Christiani, ita sentiunt Philosophi gentiles, & qui præterea nativam vocis significationem intelligunt, quod sciam, ad unum omnes. b) Realem vero ejus, si, quam vocant,

a) Vid. sis G. P. Müller, Philos. P. II. c. I. Jo. Fr. Budd. Elem. Phil. Pract. T. III. P. I. c. 4. & P. III. c. 4. J. G. Heinecc. Elem. Philos. Rat. & Mor. Cap. II. Sect. III.

b) Atque hunc omnino verum esse atque proprium hujus vocis intellectum, testatur præ sexcentis aliis vel unicus ille Ciceronis locus, ejus verba, ut paucissima, digna tamen, quæ huc transferbantur, Qu. Tusc. Lib. V. ita se habent: *Beatos existimo, qui sine in bonis, nullo adjuncto malo. Nec ulla alia huic verbo, cum beatorum dicimus, subjecta notio est, nisi secretis malis omnibus, cumula-*

cant, desideres definitionem: optime rem nobis quidem sequens exhaurire videtur. Scilicet felicitas est perpetua atque constans fruitio omnium earum rerum, quæ statum nostrum quomodocunque perfectiorem, quin perfectissimum reddere possunt. Brevius, felicitas est status hominis ex omni parte perfectus, ex omni parte beatus. Per statum autem nihil aliud intelligo, quam ipsam nostram vitam, & quæ circa eam nobis contingunt. Quæ vero omnibus numeris perfecta atque beata esse nequit, nisi simul omnes, quæ alias hominibus accidere solent, difficultates periculaque procul a nobis abesse videamus, nec quicquam nobis porro superfit timendum. Unde quoque est, quod felicitatem perpetuam dixerim atque constantem fruitionem omnium earum rerum, quæ statum seu vitam nostram reddere queant perfectissimam. Quod si enim vel minima pars horum deficiat, aut felicissimæ, quæ hodie videntur, alicujus res cras aut perendie in deterius mutantur: qualis, quæso, tibi ipsi ejusmodi videbitur felicitas, nisi talis, cujus semper adhuc longe melior, longe superfit conditio perfectior, breviter felicitas infelix, infausta, imperfecta, minus prospera, fluxa, maximeque caduca? Eamne vero ipsam, vide, felicitatis nomine iudicaveris dignam, an risu potius, jocisque putaveris excipientem, saltim nulli unquam mortalium adeo anxie quærendam? Et tamen plerumque solet, qua in hoc terrarum orbe gaudent, quamque ad unum pene omnes ardentissimis suspiriis anhelant, talis esse mortalium felicitas, ne dicam summa, quippe cujus ne vestigia quidem in hisce terris ulli unquam visæ occurrunt. Ni-

C

mi-

za bonorum complexio. Beatum vero & felix Scriptoribus Latinis pro synonymis haberi, vel ex ipsis, qui magno sane numero poterant allegari, Lexicographis satis abunde constat,

mirum summum aliquid neutiquam esse potest, nisi perfectum. c) Sed ubinam illud est? In qua parte terrarum summum tale bonum perfectumve latet? Meo certe iudicio, nullibi ac nusquam, nisi forte in Republica illa Platonica, aut notissima longe lateque Utopia Moriana. O miseros proinde vos felices! O felices vos miseros! O ridendos terque quaterque beatos! O beatos terque quaterque ridendos! Absonum! d)

§. XV.

Quibus probe consideratis, quid magis inde eluceat, quam fuisse talem omnino felicitatis definitionem a nobis perhibendam, qualem paragrapho suppeditavimus antecedenti? Scilicet felicitas vel est perpetua atque constans fructio omnium earum rerum, quæ statum nostrum perfectiorem reddere possunt, vel prorsus nulla. Quod si enim animo nobis fingamus divitem aliquem perpetuo morbo laborantem, vel hominem contra sanum quidem, durissima tamen paupertate, aut aliis quibuscunque miseriis miserrime afflictum, vel alium in summis honoribus positum, neque tamen divitem, neque bona valetudine gaudentem, vel, quod animum spectat, maxime securum, in vinculis tamen & foedissimo carceris squalore detentum, aut id genus aliis calamitatibus usque quaque pressum, vel qualemcunque demum alium sive ex hac, sive ex illa, neque tamen ex omni beatum parte dicendum: an vere hominis felicitas eundem te putes posse elogio mactare, aut ille istud sibi, quin potius convenire censeat contrarium?

c) Aristot. ad Nicom. Lib. I c. 5. Conf. præterea Cic. de Fin. Rom. & Mal. Lib. V. Qu. Acad. Lib. I. Tusc. Lib. V. & alibi.
d) Conf. Thomaf. S. 2. c. 1. & 2.

rium? Nimirum quanto quis vel hinc felicior existat, tanto certe illinc videtur infelicior. Nisi forte contendas, esse quidem utroque eum casu felicem, esse infelicem, felicem tamen. Unde vero longe alia erit felicitatis concipienda definitio, ac plerisque hactenus fuit probata, scilicet esse illam statum hominis variis casibus perpetuisque discriminibus rerum hinc inde mixtis afflictum. Quis autem tam hebeti est animo, qui ita ratiocinetur, neque ipse satis perspiciat, vel fore hoc casu necessario de una eademque re mirum quam contraria, quamque diversa asserenda, vel prorsus aliam ejusdem definitionem perhibendam? Unde demum valde vereor, ne uterque vestrum quam lubentissime suum nobis præbeat assensum, esse omnino felicitatem vel ita definiendam, ac a nobis antea factum est, aut prorsus nullam. e)

§. XVI.

Jam vero ubi talis sit aut existat felicitas, vel ubi nam inveniamus hominem adeo fortunatum, adeo beatum, cui hæc omnia, quæ ad veram felicitatem paulo ante diximus pertinere, faustis adeo auspiciis contingant, adeoque ex votis omnia procedant, ut jure meritoque possit vel de se uno atque solo gloriari, non esse, quod ultra speret, quod optet, quod desideret, quod quærat, sed statu vitæ se jamjam gaudere omnibus numeris perfecta, felicem, ne dicam felicissimum esse, neque unquam in deteriorem abstrusum iri conditionem? f) Mihi certe ejusmodi homo hactenus nondum

C 2

vi-

e) Interim conf. Thomaf. l. c. & Cic. maxime Tusc. Lib. V. per tot. ut & Arist. Ethic. Lib. I. c. 9.

f) Ubi conf. Magn. Noff. Müller. Ethic. c. 10. Ridiger. Phil. Pragm. L. III. Sect. I. P. I. c. 5.

visus, nec per auditum quidem usquam acceptus. Quin immo si vel maxime complures adeo existerent felices, iis tamen Solonis illud bene memoriæ mandatum vellem: Ante mortem nemo beatus.

§. XVII.

Numquid ergo nulla prorsus in hoc, quaqua patet, terrarum orbe felicitas occurrit? Nulli beati, felices nullis? Ita sane, si verum fateri velimus, cum rebus humanis comparatum esse videtur, ut semper miseri, semper simus infelices, nec ad veram atque perpetuam felicitatem pertingere queamus. Occurrunt quidem passim locorum res aliquot frugiferae, utiles, jucundæ, & si ita eas dici velis, maxime bona. Quales sunt divitiæ, honor, sanitas corporis & mentis, tranquillitas animi, & ita porro. Ut ut vero bona sint, æque tamen fluxas, caducas, minusque stabiles easdem semper esse videmus. Quid ergo, statimne victas nobis dabis manus, an potius tuebere contrarium? Immo, si placet, tueare. Interim tamen miseri nascimur omnes, miseri vivimus, & denique miseri morimur, terræque mandamur. Testis est experientia, testis, modo Philosopho Christiano ad eam provocare haud nefas reputetur, Scriptura S. testes præterea innumeri tam Christianæ, quam gentilis Philosophiæ Doctores. g) Qui omnes uno ore idem loquuntur, idem affirmant, quod vix dum nosmet ipsi ingenue fuimus professi.

§. XVIII.

Quæ cum ita sint, quam optarem, liceret hic nobis, tanquam hominibus Christianis, potius ex ipsis, iisque

g) Ex quibus potissimum conf. Excell. Nost. Müller, & A. Rüdiger, ll. cc.

que disertissimis Scripturæ S. verbis rem adeo dubiam, adeoque decidere intricatam, quam ut porro opus habeamus, tanquam Philosophi ad sola recurrere rationis nostræ, heu! quantis opinionum procellis distractæ, quam arctis, quamque finitis rerum humanarum limitibus circumscriptæ, testimonia. Quod enim illa quam apertissime docet, hæc non nisi mera quadam divinatione & conjecturando assequitur. Scilicet asserit illa omnino, neque esse nobis in hac ipsa vita talem, qualem supra descripsimus, quærendam, neque sperandam felicitatem, sed maximum atque præcipuum alterius, ejusque longe perfectioris, imo perfectissimæ decus vitæ fore pronuntiat. Sed ratio sibi soli relicta hæc ipsa penitus quidem non respuit, neque tamen nisi probabili saltim quodam argumentorum nexu evolvit. Nimirum cum omnia, quæcunque in hocce rerum universo existunt, suas subeant vices, perpetuisque vicissitudinibus agantur, & ipsæ demum hominum mentes, licet vel maxime aliquando votorum suorum compotes reddantur, semper tamen aliquid novi optent, quærant, sperent: non is sum, qui affirmem, male ab his procedi, qui vel solo rationis suæ dictamine ducti, oppido hinc ad existentiam melioris perfectiorisque, vel post hanc vitam vitæ concludunt. Sed utat res se habet, semper tamen vel pulcherrima eorum ratiocinatio videtur talis, cujus consequentia non sit magis possibilis, ac contrarium, nec hoc illa minus. h)

§. XIX.

At vero quo paulo facilius ex re adeo obscura, adeoque dubia in præsentī nos expediamus, ut & exercita

C 3

ta

h) Vid. tamen quæ hanc in rem præ aliis habet Ridiger. I. c. c. 6. & in Tr. Zusf. der Esel. pene per tot.

rationem nostram eo citius ad finem perducamus: illa ulterius non urgemus, sed suo loco putamus relinquenda. Sufficit, per se inde liquefieri, esse omnino felicitatem, eo potissimum, quo nobis sumitur, sensu, alterius magis, quam hujus proprium vitæ. Unde demum paucis adstruendum videtur, quæ sint media ad eam consequendam adhibenda? Et de cognitione quidem superius jamjam diximus, quæ hanc in rem de illa putavimus afferenda. Quare statim ad virtutem transgrediamur, quippe quam complures pro unico atque vero felicitatis adipiscendæ medio habent.

§. XX.

Et ante omnia quidem sumus præmonendi, vel ipsam rerum ita deposcere naturam, ut, quicquid agamus, semper certum nobis præfixum habeamus finem, ad quem suo tempore legitimoque modo obtinendum omnes nostras curas sollicitudinesque dirigamus; neque vero solus sit certus noster finis, sed & certa in promptu media habeamus, quibus ad istum rite perducamur. Breviter, fines cum semper sua media respiciant & media suos fines: necessario hinc consequitur, non posse media alius esse conditionis, quam suos fines, neque hos, quam illa; sed illa his, hosque illis juxta esse subordinandos. Ita si quis nobilius sibi eligat genus vivendi: haudquaquam illud sufficit elegisse, quin potius longe maxima premitur necessitate ne quicquam intermittendi, quod ad istud, tanquam suum finem olim obtinendum, quocumque demum modo viam sibi sternat, paret sibi iter. Alioquin certissime spe sua frustratur, nec forsitan est, quod olim adeo sibi liceat esse felici, ut tandem aliquando voti sui compos existat. Age ad rem præsentem applices dicta velim. Felicitas finis est,

est, quem omnes optant, desiderant, sperant. Sed talem eam esse jam sæpius diximus, qualem ob nimiam rerum humanarum imbecillitatem perpetuamque mobilitatem in hisce terris nulli unquam mortalium neque licuit, neque, credo, aspicere licebit. Est ergo finis eorum longe maximus, perfectissimus, summus. Paria proinde oportet adhibeas media, si felix aliquando reddi velis, reddique beatus, id est æque longe maxima, perfectissima, summa. At vero. quæ illa demum sint? A parte nostra potissimum, quod videtur, cognitio veri & boni, ut & indefessum veræ studium virtutis; a parte vero Dei, qui non minus hic in censum venire meretur, quippe a cujus sola voluntate omnis nostra salus dependet, gratuita felicitatis nostræ collatio. i)

§. XXI.

Et hæc quidem de mediis felicitatis adipiscendæ in genere. Nunc speciatim de virtute. Est vero virtus habitus animi nostri practicus, omnes suas actiones ad voluntatem Dei, quatenus per lumen naturæ patet, instituendi. Quem ubi semper ac ubique, & ita quidem exerceamus, prout sanctissimo sanctissimi nostri legislatoris, qui non est, nisi verus atque solus ipse Deus, convenit arbitrio: non possumus non, quamvis non in hac vita, certe tamen in illa altera longe perfectissima aliquando felices, aliquando evadere beati. Atque huc potissimum redit celebratissima illa mentis nostræ cum Numine Divino conjunctio. Quæ vero non nisi in pu-
ro

i) Quo potissimum, nisi me omnia fallunt, ceteris tamen omnino paribus, respexisse videtur jam suo tempore Aristoteles, qui inter alia Ethic. I. ad Nicom. L. I. c. 10. beatitudinem quoque asserit a Diis immortalibus donari, eoque maxime, quod rerum humanarum est optima.

ro sinceroquo illius cultu, sive, quod idem est, in perpetuo maximeque strenuo virtutis per omnem vitam excolendæ studio consistere videtur. Quam tamen cuiusvis, qui suo tempore veræ felicitatis compos reddi velit, maxime necessariam esse, Scripturæ pariter S. testantur oracula, ac innumera pene alia tam Christianorum, quam gentilium Philosophorum scripta, dicta, asserta. Quanquam diffidendum non est, aliter eam ab his, aliter ab illis, pro diversis scilicet suis cum credendi, tum agendi principiis tradi. Interim tamen neque hi posteriores prorsus de illa conticuerunt, sed quoquo modo eam prædicarunt, descripserunt, commendarunt. k)

§. XXII.

Veruntamen quid magis vero simile videtur, si vel maxime hæc omnia nos laterent, quam oportere omnino eum, qui tandem aliquando felix fieri cupiat, omnem mo-

k) Ut Script. S. loca in præsentī penitus taceam, dignissimum tamen inter tot tanque varias vel maxime gentilium Philosophorum sententias, nobis quidem videtur, qui pariter brevissimus est, Senecæ ille locus de Provid. c. 1. cujus verba hic legantur: *Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? Immo etiam necessitudo & similitudo.* Id quod & illa, quæ idem habet Seneca d. Vit. Beat. c. 6. testantur, quando *omne*, inquit, *boni ex virtute principium est.* Unde subnectit c. 15. *vetus illud, quod asserit, præceptum: Deum sequere;* & paulo post: *In regno virinus; Deo parere libertas est.* Ita ut demum c. 16. in ipsa virtute concludat, positam esse veram felicitatem. Quem præ multis aliis egregie hanc in rem ulcerius edisserentem vide sis de Tr. An. in Epist. & alibi passim. Plura vero congesta huc pertinentia vide veterum Philosophorum, maxime gentilium loca dans l'Hist. de la Phil. Payenn. P. II. chap. 20. Neque tamen dimittamus Excell. Nost. Müller. Ethic. c. 7. §. 9. & 20. sub fin. A. Ridiger. Phil. Pragm. Sect. I. P. II. & in *Zufriedenheit der Seelen* c. 4. §. 7. G. P. Müller. Phil. P. II. c. 1. §. 15.

movere lapidem, ut, quo magis veram, perpetuam atque constantem felicitatem nanciscatur, nec is sibi iratus existat atque infensus, a cujus nutu ista potissimum pendere videatur? Qua vero idem ratione magis evitabit, quam lubentissime promptissimeque omnia ista peragendo, quæ voluntati ejus maxime sciat convenire, adeoque cum suo Deo, tanquam unico, vero atque solo felicitatis suæ fonte, perpetuo virtutis studio atque amore, tanquam arctissimo quodam sibi invicem ad latius quasi hærendi vinculo jungatur? Hoc quippe tertium ultimumque illud medium videtur felicitatis nostræ stabilientiæ secum ferre, quam paulo ante diximus gratuitam illius a Deo nobis factam collationem. Sive movetur perfectissima hominis virtute sanctissimus justissimusque Deus, ut eundem suo tempore ex omnî reddat parte beatum, reddat felicem, immo felicissimum, placidissima scilicet illum morte ex miserima hac tristissimaque vita ad longe illam præstantiorem perfectioremque evocando. Modo ipse caveat, ne actiones suæ virtutis quidem aliquam præ se speciem ferant, ab hac vero ipsa quam remotissimæ existant; sed ut perfectissimo potius suo fini, quem iisdem assequi cupit, ex asse respondeant. Alias valde timendum est, ne magis olim vel infelicissimis, quam ulla ex parte annumerandus fuerit beatis.

§. XXIII.

Quæ certe, nisi me omnia fallunt, ita comparata esse videntur, ut, quicumque hac via, a nobis in præ-

D

fenti

seq. Chr. Thomæ S. L. c. I. §. 84. seqq. Lud. Phil. Thümmigii Instit. Phil. Wolff. T. II. Sect. IV. quæ est de Pietate Philosophica, & alios complures.



senti exercitatione brevissimis quidem, quasi tamen digito monstrata, incesserit, dubio procul non tam felix, quam aliquando felicissimus evadat; sin vero minus, nulla prorsus superfit neque optanda, neque quærenda, neque speranda, nedum adipiscenda vera atque genuina felicitas. Unde simul & illud palam est, quod supra jam monuimus, esse nimirum solum hominem, præditum ratione, felicitatis fruendæ capacem, verumque ejus adipiscendæ subjectum; neque vero animantibus brutis, neque alii cuiquam rei tale nomen convenire, multo minus autem de summo ipso asserti posse Numine Divino. Non de hoc, quoniam jam inde ab æterno ens pariter est perfectissimum ac potentissimum, adeoque nec ulli obnoxium mutationi, nec ullius unquam indiget auxilio atque ope. Non de illis, quia vel maxime ob carentiam rationis, utut ingentem, suam indigentiam neque sciunt, neque intelligunt, neque in melius mutari optant, neque desiderant, neque volunt, neque curant, ne dicam virtutis studio sive amore ita nec aliter, nec aliter, sed ita agunt. De reliquis præter hæc duo entium creatorum genera, homines puta rationales & animantia bruta maxime irrationalia, cum per se pateat, quam absolum sit, quam ita statuere absurdum, ut taceamus, ne plura afferendo nugis atque gerris fallere potius tempus voluisse, quam rem nostram strenue agere videamus. Est igitur non nisi solus homo felicitatis olim obtinendæ capax, unicum atque genuinum subjectum, quippe solus calamitatis suæ, qua jam inde ab infantia usque ad extremum vitæ suæ halitum usquequaque premitur, probe conscius, & quantum sibi hæctenus desit, quidve potissimum desideret, non ignorans; tum qui vel maxime in dies meliorem, perfectiorem, feliciorem, beatiorem vitam suam reddit optat, curat, omnique nisu laborat, & cum virtuti diligen-

ligentem operam navet, tandem aliquando eam ipsam, quam hucusque adeo anxie anhelavit, circumspexit, quæsivit, speravit, consecuturus certissime est felicitatem. Id quod erat demonstrandum.

§. XXIV.

De cetero solvimus quoque nosmet ipsi perque solvimus Deo T. O. M. quam decentissimas grates pro præstitis suis nobis in conscribenda hac qualicunque exercitatione auxiliis, seduloque precamur, velit non solum nos ipsos, sed & reliquos omnes, quotquot per solam suam gratiam in toto, quæquæ patet, terrarum orbe & spirant, & sperant, immo porro spirabunt sperabuntque, non nisi felicissimos olim esse, terque quaterque beatos.

S. D. G.



QXT 7815

Corollaria.

I.

De omnibus dubitandum.

II.

Civis bonus esse non potest, nisi vir bonus.

III.

Ergo nec Athei in Republica bene constituta tolerandi.

IV.

Non omne, quod licet, honestum, nec justum est.

V.

Injuria, quæ fit violenti, atque scienti, æque injuria est, ac quæ invito nescientique infertur.

VI.

Conscientia erronea vix ac ne vix quidem conscientiae nomen meretur.

VII.

Mundus regitur opinionibus.

VIII.

Nemo censetur velle absurda.

IX.

Unde tamen mireris, quod stulti sibi ipsi magis placeant, quam prudentes.


X.

Nulla actio bona, nisi perfecta.

Pom Tif 805, 04

X 153 3341





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. N. 351, 33.

Q. D. B. V.

T. 166

DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MORALIS
DE
VERO ATQUE GENUINO
FELICITATIS HUMANÆ
CONCEPTU,

II f
815

QUAM
AMPLISSIMI SOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI

INDULTU
H. L. Q. C.

PUBLICO PLACIDOQUE ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

P R Æ S E S

GODOFREDUS BÜRGE L, A. M.

SUIDN. SIL.

R E S P O N D E N T E

JO. FRID. GOTTLIEB ERDMANNO, SORBIG.
SS. THEOL. ET PHIL. CULT.

D. II. APRIL. A. O. R. c b l b CC XXXV.

L I P S I Æ,
LITTERIS CHRISTOPHORI ZUNKEL



5 57.